



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

De Magnatvm Poenitentia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

imere. Potest etiam vñusquisque vnius diei ieunium ducentis & viginti psalmis redimere. Potest etiam quisque duodecim mensum ieunium triginta solidis redimere: vel vnum aliquem liberando tanti æstimatum: & pro vnius diei ieunio decantet vir ille senis vicibus, Beati: & senis vicibus, Pater noster. Et pro vnius diei ieunio genuflectat homo ille, & ad terram se inclinet sexaginta vicibus, dicens: Pater noster. Posit etiam quis vnius diei ieunium absoluere, si in oratione semetipsum per omnia membra sua Deo extendat, vera contritione & fide recta, & quindecim vicibus cantet, Miserere mei Deus: & quindecim etiam vicibus, Pater noster. Iam tum conceditur illi totius diei peccatorum alleuatio.

## XIX.

Septenne ieunium potest quis in anno vno absoluere, si quotidie cantauerit psalterii psalmos, itidemque nocte, & quinquaginta vespere. Vnica etiam Missa potest quis absoluere duodecim dierum ieunium: & cum decem Missis eximatur quatuor mensum ieunium: & cum triginta Missis potest quis eximere totius anni ieunium, si voluerit ex vero Dei amore pro seipso intercedere, & peccata sua suo confiteri confessario, eademque prout is edixerit emendare, & semper postea declinare.

## DE MAGNATVM POENITENTIA.

## I.

Hoc modo potest vir illustris, & amicis fretus, amicorum ope leniorem reddere suam poenitentiam. Primum in Dei nomine, & confessarii sui testimonio, manifestet fidem suam rectam esse: & condonet omnibus qui in eum quid peccauerint, & faciat confessionem suam absque omni omissione peccatorum; polliceaturque resipiscerit, & suscipiat poenitentiam cum multo gemitu.

## II.

Deponat tunc arma sua & inutilia quæque ræna, & accepto sibi in manum scipione, vadat diligenter nudus pedes: laneis vtatur vel cilicio, & non intret lectum, sed in casa iaceat. Faciat hoc, dum septem compleatur annorum numerus. Paret se per triduum hunc in modum: sumatque sibi in auxilium duodecim socios: ieunent tres dies pane & crudis oleribus & aqua: & acquirat præterea

quaqua poterit ad opus consummandum septies centum viginti homines, qui ieunent singuli illius gratia totum triduum, tres videlicet quisque dies. Sic accrescit horum ieuniiorum numerus ad tot ieunia, quot sunt dies in toto septennio.

## III.

Cum quis ieunauerit, distribuat fercula, seu eduliorum præparationes, quibus ipse frueretur, omnibus Dei pauperibus: & in tribus illis diebus sui ieunii seponat mundana quæcumque negotia, dieque & nocte quoties poterit ecclesiam petat, & eleemosynario lumine ibidem vigilato solcite, & clamet ad Deum, peccatorumque exoret remissionem lugenti animo & genibus innixus. Sæpe etiam se extendat super signum crucis, nunc erectus, nunc in terram prostratus. Discat etiam vir quisque potens lacrymas ab oculis suis sincere fundere, & peccata sua deplorare. Pascat etiam in triduo illo tot egenos quotquot prorsus valeat. Quarto autem die lauet omnes, ciboque donet & pecunia. Quin & ipse qui hanc agit poenitentiam, pedum eorum incumbat lotioni: celebrenturque ea die pro eodem poenitente tot Missæ, quot vlla vñquam industria comparare quisquam poterit, & Missarum earum tempore exhibeat illi absolutio: & iam tum suscipiat eucharistiam, nisi quod ex nimio reatu suo adeo impeditus ut hanc adhuc non accipiat. Spondeat tamen se in posterum Dei, quantum poterit, semper operaturum voluntatem, omnemque iniustitiam, auxiliante Deo, usque vixerit declinaturum; ita ut perpetuo & præcipue Christianitatem recte teneat, & gentilismum omnino explodat. Cogitate, ministri Dei, verba & opera eius solcite corrigere, ut sic iustitiam omnem erigat, & auxilio Dei iniustitiam, quantum poterit, semper destruat solertissime. Maxime necessarium est ut is Deo id præstiterit quod vel in minimis est pollicitus.

## IV.

Hæc est magnatum, & eorum qui amicorum fruuntur multitudine, poenitentia alleuatio; sed non datur inops sic procedere. Oportet igitur a seipso fortius hanc exigere: & illud quidem est æquissimum, ut unusquisque suas per se luat iniquitates, correctionemque subeat studiose. Scriptum est enim, quia unusquisque onus suum portabit. *Ezech. 18.*

*Concil. Tom. 25.*

Y ij

*ieiunantis  
& paeniten-  
tis officium.*